

Johann Christoph Rosteuscher    Johann Christoph Cramer

## **Ex Metaphysicis De Causis Essentialiter Subordinatis**

Rostochi[i]: Richelius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73244523X>

Druck    Freier  Zugang



R u phil 1684



Q. D. B. V.  
*Ex*  
METAPHYSICIS  
*DE*  
CAUSIS ESSENTIALITER  
SUBORDINATIS,

in illustri ad Varnum Academiã  
*Consensiente Ampliff. Facult. Philosoph.*

PRÆSIDE

DN. M. JOH. CHRISTOPH.  
ROSTEUSCHERO,

Gedanensi

DN. Fautore & Studiorum suorum Promotore  
omni honoris cultu ætatem prosequendo,  
publicè disputabit

JOHANNES CHRISTOPHORUS CRAMERUS,  
Stetinensis A. & R.

A. D. XX. Febr. A. O. R. cl̄o 13c LXXXIV.

*in renovato Auditorio Majori. hor. matut.*

---

Rostochl, Typis JACOBI RICHELII, Senat. Typogr.

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. Some faint words like "METHANOL" and "BY W. H. RISTON" are visible.

**M**anet Majestas integra etiam apud eum, qui sub Formulâ Commissoriâ Regnum accipit, quâ non ipsam potestatem, sed solum habendi modum affici rectè docet Grotius de I. B. P. lib. 1. c. 3. §. 16.

II. Rempubicam mixtam dari temerè inficiatur Hobbes. Elem. de Civ. c. 6. §. 6. & c. 7. §. 4.

III. Obligationem ad pœnam à nocente ex interna justitia ratione sumendam malè negat Idem. c. 3. §. 11.

IV. Ut ut cum Grotio lib. 2. c. 2. §. 10. & Cl. Pufendorff. de I. N. & G. lib. 2. c. 6. §. 5. nec furti nec alterius cujusq; delicti reum esse crediderim, qui extremâ necessitate compulsus res alienas surripit, illam tamen immunitatem ex primavâ communionem tempore necessitatis reviviscente, quod putat Grotius, oriri haud dixerim.

V. Parentum potestatem in liberos, nec ex jure victoris in victum cum Hobbes. de Civ. c. 9. §. 2. nec ex alimentatione parentum, & tacito liberorum consensu cum Illust. Pufendorff. de I. N. & G. lib. 6. c. 2. §. 4. sed ex solâ generatione cum H. Grotio lib. 2. c. 5. §. 1. omnium commodissimè derivari posse existimo.

VI. Vorticum Cartesiana, quas vocat, I. Bapt. du Hamel. Astron. phys. lib. 2. c. 6. nundinationes, uti merè fictas falsasq; exponunt hypotheses, ita veritatis in rebus naturalibus eruenda causâ frustra instituuntur.

VII. Sonum sine aëris adminiculo posse elici, argumenta, quæ Illustr. Franciscus Baco Baro de Verulamio in Sylv. Sylvarum sive Hist. Nat. cent. 2. p. 788. exhibet, nondum satis evincunt.

VIII. An mors formaliter consistat in dissolutione animæ & corporis, liceat ambigere. Conf. Dn. Sveling. Exerc. Apol. p. 32. Ad

*Ad Eruditissimum*

DN.

**JO. CHRIST. CRAMERUM,**

S. Theol. & Philos. Cultorem maximè indu-  
strium,

*Paterna Avitaq; Gloria feliciter æmulum,*

*Amicum meum plur. colendum.*

**Q**uanta, CRAMERE, tuam decorent insignia gen-  
tem,

Quantaq; sit generis gloria, fama docet.  
Vivit adhuc cœlo PROAVUM contermina virtus,  
Et meritum toto sustinet orbe decus.

Nec minor est Magni prælustri adorea PATRIS,  
Patria perpetuum quem vehet ore Patrem.

Tuq; fore tantum Majorum nominis hæres  
Degener, aut stirpis tarda propago Tuæ?

Non eris. Ingenii quæ TE nitidissima virtus  
Ornat, & in Musas haud simulatus amor;

Quæis fortunato Pietas se fœdere jungit,  
Spondent de studiis grandia quæque tuis.

Cernimus excitam pulcro conamine mentem  
Publica doctrinæ reddere signa suæ.

Perge ita magnanimo per inhospita tesq; labore  
Laudis ad excelsas æmulus ire domos.

Sic erit, ut prisca per Te nova robora sumat  
Auctus in immensum stemmatis amplus honos.

*L. M. Q. scribeb.*

**M. J. C. ROSTEUSCHERUS.**



**E** St hæc innata omnibus mortalibus indoles, ut ad perfectionis aliquem gradum tendant, & si non meliores, sapientiores tamen fieri gestiunt. Discendi sciendiq; cupidus est humanus animus, iustudq; desiderium, uti iudice Philosopho *libr. I. Met. cap. I.* à naturâ nobis est insitum, ita persistente hominis natura durat perpetuò, nec, solutâ licet corporis compage, prorsus dissolvitur. Transmittimus spes nostras ultra cineres, & quæ vel solutas vel redunitas aliquando corporibus suis animas maneat conditio, clariùs & distinctiùs intelligere cupimus. Maximam tamen vitæ nostræ partem præsentium rerum contemplationi impendimus, inq; earum vel cognatione, quam inter se alunt, vel diversitate & rationibus propriis addiscendis occupati, in profundas sæpe speculationes dilabimur. Ut certa quoq; & errore vacua animum sciendi cupidum expleat cognitio, ad ipsas rerum causas pernoscendas descendimus. Nec contenti simplici earundem intuitu, varietatem quoq; illarû nec non ordinem & relationem, quam ad se invicem habent, mutuam, curatiùs perlustramus. Hinc illa de Cautarum à se invicem dependentium Subordinatione doctrina, in disciplinarum genere ad primam, quam vocant, Philosophiam, illam, teste Philosopho, *libr. 6. Eth. Nicom: c. 7. ἀκριβεστάτην καὶ ὡς περ κερφαλῆν ἔχουσαν ἐπιστήμην* communiter referri solita. Quæ cum haud contemnendos in foro quoq; superiori versantibus promittat usus, suaq; se non minus dignitate, quam utilitate summoperè commendet, operæ pretium esse ducimus, eandē sollicitius excutere, & paucis comprehensam pagellis publicæ disquisitioni submittere. DEUM interim supremam rerum omnium causam veneramur submitte, ut conatibus nostris faveat & cœpta secundet.

A

§. 1. Prim-





**D**incipio in evolvendâ nominis ratione haud multum occupabimur, cum quid per subordinationem intelligatur proprie, ex ipsâ vocis naturâ abunde constet. Subordinari enim dicuntur in genere ea, quæ inter se respectum aliquem involvunt & in certa quâdam serie se mutuo excipiunt, sive uti *cl. Thomasius in dilucid. Stahl. ad dissert. V. reg. 4. num. 4.* loquitur, quæ in justo aliquo ordine posteriora sunt & inferiora, sicut in genealogiis avo pater, patri filius, & in scalâ (quam vulgo fabricant) prædicamentali, genera intermedia summis, & species infimæ generibus intermediis subordinari censentur. Eundem itaq; in modum in causis subordinari dicuntur illæ, quæ semet invicem subsequuntur, & relationem aliquam ad se invicem cum dependentia conjunctam involvunt. Distinguntur autem communiter in Essentialiter & Accidentaliter subordinatas. Cujus distinctionis quæ sit ratio, ex *P. Fonseca* (quas enim *Philipp.* definitiones proponit in *Dial.* & ex *eo Scheibl. Opp. Met. libr. I. cap. 22. p. 284.* hoc loco alienæ sunt, & meliori jure causis sociis applicari possunt) in *II. Met. cap. I. quæst. I. sect. II.* omnium optimè edoceri possumus, ex cujus mente essentialiter subordinatæ describuntur, quod sint quælibet duæ, vel, quod addimus, plures causæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ inter se, ut altera ex natura sua ab alterâ in causando dependeat. Accidentaliter verò subordinatæ dicuntur duæ vel plures causæ ejusdem generis, quæ ita sunt affectæ inter se, ut altera pendeat aliquo modo ab alterâ, sed non in causando, id quod exemplo patris & avi, quæ causæ creduntur esse subordinatæ filii, declarare licet. Etsi enim pater in generando filio non dependet ab avo, ut vel inde patet, quod avo, mortuo generare filium potuit, dependet tamen ab avo quoad esse absolutum, cum filium ipsi generare non licuisset, nisi ab avo primum fuisset genitus. Solent alias à Scholasticis variæ earundem differentiarum designari, quas ad tria præcipuè capita revocare placuit *Cbrysost. Javello in libr. II. Met. Arist. quæst. 5. p. 71. & 72.* Quibus gemina sunt, quæ habet *Fonseca l. c. Secorum*, quem etiam in aliis sequi subinde solet, imitatus in *Reports. Paris in I. Sent. Dist. II. cons. 2.* Quid autem de receptâ illa Scholasticorum distin-

distinctione, quam ex eorum mente eadem ratione explicat *P. Musaeus* in *Inst. Met. cap. 15. p. 127.* sentiendum sit, haud abs re fuerit sollicitius inquirere. Etenim differentias illas Javelli & aliorum jam pridem impugnavit ex Nominalibus *Gvilhelmus Occam* in *libr. 1. Sent. dist. 2. quest. 10.* Cui tamen in quibusdam satisfacere studuit *Gabriel Biel* in eundem locum *Sent: Lomb: Utrum etiam, quæ Accidentaliter dicuntur subordinatæ causæ, nomen illud tueri jure meritoq; possint, non sine causa dubitare liceat.* Cum enim hic de causarum subordinatione sermo sit, causæ vero ex hoc præcipuè fundamento istud nomen mereantur, quod actu ipso causent, & in effectum influant, earum quoq; subordinatio haud melius, quam in actuali influxu quærenda veniet, & cum præterea Subordinatio ista certum aliquem ordinem causarum sibi invicem subsequentiū, inferentem simul unius causæ ab alia in causando dependentiam, formaliter involvat, eas tantum subordinatas salutare causas licebit, quæ in causando ita sibi subordinantur, ut una ab altera dependeat. At inter accidentaliter subordinatas, quas vocat Scotus, causas, licet locum inveniatur dependentia quædam esse eorundem absolutum concernens, nulla tamen hic datur in ratione causandi & quoad esse respectivum, secundum quod in productione unius ejusdemq; effectus sibi subordinari censentur, spectata dependentia. Id quod exemplo constat, quo in declaranda causarum Accidentaliter subordinatarum naturâ utitur *Musæus l. c.* Ita Anchises & Æneas respectu Ascanii dicuntur esse causæ Accidentaliter subordinatæ & dependet etiam Æneas ab Anchise, quia ab eo fuit genitus, in quantum tamen ipse Ascanium genuisse creditur, ab Anchise neutiquam dependet, cum nullus hic in istum effectum detur causalis influxus. Nec est, quod hic obverti possit, Æneam non potuisse per causalem influxum concurrere ad productionem Ascanii, nisi & ipse Anchises antea actu causalitatem suam exseruisset, adeoq; Æneam ab Anchise non solum in essendo, sed etiam in causando dependere. Etiam si enim aliquam hic in causando dependentiam admittere vellemus, illa tamen tantum negativè sese haberet. Est autem necesse ad servandam propriam formalemq; causarum subordinatarum rationem, ut adsit dependentia sensu positivo intellecta, quæ uti causalem realemq; influxum ratione unius ejusdemq; communis effectus importat, ita veram in causando sub-

ordinationem evidenter arguit. Quod etiam inter alia fatetur  
*B. Slevogtius in Syll. Diss. Acad. p. 660*, sequens ibi proponens effatum:  
Qvæ causæ non sunt ita affectæ inter se, ut una dependeat ab altera in  
causando, inter illas nulla datu subordinatio. Cujus rationem sub-  
jungit, qvod ad causarum subordinationem non satis sit mutuus qua-  
liscunq; respectus, sed requiratur, ut cum una sit superior altera, u-  
na quoq; dependeat ab altera in causando. Qvem sequitur *Clariss.*  
*Thomasius in dilucid. Stahl. l. c. ad eundem modum differens*. Post-  
quam enim in subordinatione duo spectanda esse monuit, rem sub-  
ordinatam & rationem subordinandi, hanc docet, non esse qvarendam  
alibi, quam in causando & proinde, si una quidem causa depen-  
deat ab altera, non tamen in causando, tales causas neutiquam esse  
subordinatas, ut causas. Qvemadmodum enim in Genealogiis, si  
filius v. gr. ædificet turrim, turris illi nullo modo subordinata es-  
se in illa consanguinitatis arbore dicitur, neqvè subjicitur ipsi per  
modum filii, qvanquam ipsius est effectus, idqvè ideo, qvia gignere  
tantum sobolem, non vero ædificare aliquam structuram pertinet  
ad specialem rationem illius subordinationis genealogicæ: ita hoc  
loco, ad veram & proprie dictam subordinationem in causis, non sa-  
tis fuerit, si una causa qualitercunqvè dependeat ab altera; sed re-  
quiritur unice, ut ab ea dependeat in causando circa effectum, ita ut  
effectus ille per hanc dependentiam communis fiat utriqvè causæ, li-  
cet gradu inæquali.

§. 2. Præstat itaqve unicum tantum subordinationis modum,  
eumqve essentialem agnoscere, cujus qvæ ratio sit, etsi qvadantenus  
ex allegatis antea differentiis pateat, placet tamen explicatius siste-  
re. Requiritur autem qvàm maximè in causis essentialiter subordi-  
natis, ut una ab altera dependeat. Qvæ dependentiæ ratio ita intelli-  
genda est, ut illa demum causa ab altera dependere dicatur, qvæ vim  
suam operandi exserere neqvit, nisi & altera suo caulandi actu ad  
eundem numero effectum simul concurrat, vel certè antea operati-  
one sua ad eundem aliquid contulerit. Qva ratione corpora ele-  
mentaria dicuntur in ratione operandi dependere ab astris, qvæ si  
non concurrerent v. gr. cum herbis, plantis, aliis ve naturalibus a-  
gentibus, non posse crescere aut augeri ulla ratione creduntur. Solet  
alias hæc dependentiæ species dependentia in causando vocari &

CON.

contradistingvi dependentiæ in effendo & conservando, quarum illa  
quoque dependentia in fiendi, hæc in effendi ratione salutarî consue-  
vit. Neque enim quod dependet ab aliquo in fieri, ab eodem statim  
dependet in esse & conservari. Nam Substantia naturalis cum genera-  
tur intrinsecam quidem dependentiam habet à generante, verùm  
non ratione sui esse, sed tantum ratione ipsius fieri. Quod observa-  
re licet in omni generatione, sive univoca sit sive æquivoca. Licet eni-  
m homo generet hominem, quæ generatio univoca est, vel equus  
mulum, quæ æquivoca, genitum à generante dependet tantum in fi-  
eri, in conservari non item, cum equo moriente non statim moria-  
tur mulus, & patre defuncto superstes manere possit filius. Consi-  
mili ratione fieri potest, ut unum ab altero dependeat in ratione ef-  
fendi, neutiquam tamen in ratione causandi vel operandi, aut ex  
adverso in ratione formali causandi, neque tamen in ratione effen-  
di, quo pacto v. gr. causa physica ab approximatione ut conditione  
vel ab aliis ut concausis dependet non in ratione effendi, sed tantum  
in operando. Potest autem hæc in operando sive causando depen-  
dentia duplici ratione spectari, vel quoad exercitium actus, vel quoad  
speciem, qui uterque respectus ut in essentialiter subordinatis causis si-  
mul detur, supervacaneum esse censemus, cum sufficere possit, si quæ  
ab alia dependet causa, alteri, à qua dependet, exercitium actus quo-  
modocumque debeat. Quo sensu etiam *B. Slevoigtius in Syll. Dissut.  
Acad. p. 194.* id, quod realiqua sic eget, ut sine illa operari nequeat,  
ab ea dependere docet quoad actum operandi, idque declarat exem-  
plo scribæ à calamo in actu scribendi dependentis, cum deficien-  
te calamo fieri non possit, ut scribat. Sed & hoc non sine ratione  
observari vult in essentialiter subordinatis causis *Fonseca*, ut quæ ab  
altera dependet causa, ab illa ex natura sua dependeat, cum v. gr.  
duo homines impellentes aliquid, quod neuter per se movere potest,  
pendeant à se invicem in impellendo, neque tamen dici possint es-  
sentialiter subordinati, quia vis impellendi unius non pendet ex na-  
tura sua à vi impellendi alterius, quando utriusque vires ejusdem sunt  
inter se speciei & non aliter concurrunt, quam partes unius causæ po-  
tentioris ejusdem speciei, cum qualibet ipsarum. *Conf. etiam Musæus  
Inst. Met. cap. 15. p. 176.* Perinde autem esse existimamus sive illa in  
ratione causandi dependentia fuerit mutua, sive non mutua. Illa ob-

tinet, quando neutra causarum absque operatione & instruxu simultaneo alterius effectum potest producere, quâ ratione visus & species visibilis, quam objectum imprimit, in ratione simplici videndi, intellectus item & supernaturale auxilium, quod lumen gloriæ appellamus, in ordine ad ciliendam circa divinam essentiam visionem beatificam à se mutuo dependent, cum neutrum illorum absque auxilio alterius actus suos exercere possit. Hæc, quando una causa in causandi ratione ita dependet ab altera, ut tamen hæc absque interventu illius producere effectum possit. Cujus generis dependentia vulgo dare creditur inter causam universalem & particularem in comparatione unius ejusdemque effectus, qui à causa quidem particulari, non nisi concurrente universali, ab hac tamen absque interventu alterius produci potest. In quo vero exemplo an satis apposite dependentiæ nonmutuæ vestigia quærantur, non immerito ambigimus, cum etiam Deus, in quantum ille, ut causa universalis indifferenti & indeterminata ratione influere in effectum intelligitur, concursum simul creaturæ velut causæ particularis requirere, & quando solus absque particularis causæ adjumento agit, non amplius rationem causæ universalis sustinere videatur, quod agnoscit etiam in *Inst. Met. B. Musæus cap. 15. p. 178.* Alias facile largimur, necesse non esse, ut causa subordinans vicissim à subordinatâ dependeat, cum v. gr. manus hominis movere lapidem possit, etiamsi nullum ad id instrumentum adhibeat, quod de se alias ita subordinatur manui, ut sine ejus concursu motum lapidis causare nulla ratione possit. Illud tamen in genere hic adnotandum, quod quæ ita dependent & ut subordinatæ causæ ad eundem effectum concurrere dicuntur, naturam verè causæ sustinere debeant, cum cætero qui à conditione sine qua non, quæ nuda est circumstantia ad effectum necessario prærequisita citra tamen omnem influxum causalem, quæ frustra in illa quæritur, in ratione causandi dependere soleant causæ, nequè tamen illius respectu subordinatæ causæ dici mereantur. Ita à remotione valvarum dependet actus Solis illuminantis conclave, cum nec Sol illuminare conclave, nequè hoc ab illo illuminari possit, nisi valvæ fuerint à specularibus remotæ, quæ tamen remotio quando in nullo causarum genere est causa illuminati conclavis, cum Sole illuminante causarum Subordinatarum respectum neutiquam induit.

S. 3. Etâ

§. 3. Etsi vero communem aliquam causalitatem ad eundem effectum ordinatam exercere causæ essentialiter ordinatæ debeant, necesse tamen non est, ut id fiat eodem modo, nec præcise requiritur, ut omnes causæ immediate communem illum effectum attingant, cum sæpe numero una saltem immediate, reliquæ non nisi mediate ad producendum; unum communemque effectum concurrant. Id quod non solum de mediatione suppositi, quando interveniente alio supposito immediate attingente effectum dicitur aliquid causari, sed & de mediatione, quam vocant virtutis debere intelligi, ex ratione causæ Physicæ & moralis, quas in agendo sibi subordinari deinceps ostendetur, abunde liquet, cum qui vel cogendo, vel svadendo, vel jubendo, causam physicam ad agendum impellit, vel alia quacunquè ratione agens ad patiens applicat, effectus quidem à Physica causa immediate proficiscentis causa revera sit, sed mediata saltem mediatione virtutis, cum interventu alienæ adhuc virtutis, quæ est in causa Physica, unus ille communisquæ effectus ab ea oritur. Ex quo porro colligitur, non esse simpliciter necessariam omnium causarum realem existentiam, cum, quæ moralis est, diu periusse potuit, sed sufficere tantum objectivam, quod ut requisitum in causis essentialiter subordinatis advertendum maxime, allegat etiam *Fonseca l. c.* Contingit etiam aliquando, ut una ex subordinatis causis sit altera à se dependente natura prior, aliquando in ratione essendi, nonnunquam etiam in ipsa ratione causandi, quorum illud in DEO, ceu causa universali cum agentibus creatis comparato, hoc exemplo mutux habitudinis, quæ inter instrumentalem causam datur, & principalem, quarum hæc illam de se sufficienti virtute destitutam ad producendum effectum elevat, ex inferius dicendis constabit. Solet cæteroque inter requisita causarum essentialiter subordinatarum recenseri etiam dignitas & perfectio, ita ut ea, cui subordinatur altera, essentialiter perfectior, magisque nobilis intelligatur esse illa, quæ subordinatur, quam proinde imperfectiorem & ignobiliorem esse oporteat, quod existimat *Theoph Raynaudus in Theol. Nat. dist. V. quæst. l. Art. 2. num. 24.* Sed recte illud compluribus exemplis infringit *Gvilhel. Occam, in libr. 1. Sent. dist. 2. quæst. 10.* e quibus illud præcipuum est, quod v. gr. corpus aliquod cæleste, quod tamen non est vivum, concurrere credatur cum asino aliove animali, ad producendum

endum aliud ut causa quædam universalior & proinde superior,  
multo interim ignobilius quam vivum aliquod animal esse censeatur.  
Restringit quidem *Fonsæca l. c.* prerogativam illam, quam  
putat convenire causæ subordinanti, unice ad rationem cauſandi,  
quam in subordinante multo putat esse excellentiorem, quam in sub-  
ordinata. Sed nec illud ubiqvè obtinet, cum causa universalis,  
qvatenus talis esse intelligitur, subordinetur particulari, propter mu-  
tuam, quæ hic datur, dependentiam, neqvè tamen inde causa particu-  
laris in cauſando nobilior aut perfectior universali dici posse videatur.  
Utrum vero necessario requiratur, ut essentialiter subordi-  
nata causæ ejusdem sint generis, an vero etiam inter diversi generis  
causas locum inveniat subordinatio, dubium videri possit. Etenim  
*Fonsæca* audeat negat, in *libr. 2. Met. cap. 2. quæst. 1. Sect. 4.* Quod si duæ  
pluresve causæ ad unum eundemqvè effectum concurrant neqvè ta-  
men sint ejusdem generis, illas posse dici essentialiter subordinatas,  
etiãsi fateatur, necesse non esse ut ejusdem ordinis sint. Familiare  
enim est Scholasticis distingvere inter causas ejusdem vel diversi ge-  
neris & ejusdem vel diversi ordinis, quod constat verbis *Domin. à*  
*Flandr. ex Thoma in libr. 5. Met. quæst. 2. Art. 3.* docentis, quod causarum  
quædam sint ejusdem generis ut duæ efficientes duæ finales, quædam  
diversorum Generum, ut causa formalis & materialis, & quod cau-  
sarum quidem, quæ sunt ejusdem generis in ratione cauſandi, quæ-  
dam sunt ejusdem ordinis, illæ scilicet quæ sunt in eodem genere  
causæ atq; primo, ut v. g. duæ causæ principales, duæ physicæ; quæ-  
dam vero alterius ordinis, quæ ejusdem quidem generis causæ sunt,  
attamen se mutuo secundum prius & posterius respiciunt ut v. g.  
Causa principalis, prima & secunda, proxima & remota. Existi-  
mam tamen contra *Fonsæcam* multo esse satius, si inter causas di-  
versi quoqvè ordinis quædam subordinatio admittatur. Datur e-  
nim inter diversi quoqvè generis causas mutua in cauſando spectata  
dependentia, ita ut una actum suum causalem exserere non possit, ni-  
si & altera succurrat, & vel suam causalitatem exerceat, vel exerce-  
rit antea. Quod evidens est, ex mutua, qua se quatuor illa distin-  
cta causarum genera respiciunt habitudine. Efficiens quippe causa,  
dependet in cauſando à fine, forma à materia & vicissim hæc ab illa,  
utraqvè ab efficiente. Finalis causa movet efficientem, quæ cogno-  
scendi

scendi appetendiqve facultate pollet, non quidem per potentiam a-  
ctivam, quod ipsi alias efficienti convenit, sed sub ratione boni medi-  
ante sui cognitione & representatione appetitum allisciendo, ut &  
bonum illud & aliud propter ipsum appetat. Imò non tantum in  
illis agentibus, quæ vi quadam cognoscendi & appetendi gaudent,  
sive illa sensitiva sit, sive intellectualis, (quæ postremâ tamen quæ  
pollent, multò perfectius formaliterqve ob finem agere censet Tho-  
mas in 1. 2. quæst. 6. Art. 2. cum finem apprehendant sub ratione finis  
& media eo facientia sub ratione mediorum,) locum invenit hæc ob  
finem agendi ratio, sed & agentia merè naturalia, quæ omni cog-  
nitione & appetitu tam elicitò quam libero destituuntur, ob finem age-  
re censentur, si non primariò, attamen secundariò, dum ab aliquo  
superiori agente, à quo peculiarem ὄργανον, quâ in illum suum finem  
propendent, acceperunt, in finem istum diriguntur. Id quod Pere-  
rius Met. libr. 8. cap. 3. illustrat exemplo imperatoris, qui cum aliis  
principibus exercitus novit finem belli, & rerum in eo gerendarum,  
quem privati milites plerumqve ignorant, sed cum regantur ab  
imperatore, satis illis est, ab eo habere mandata & rationem rerum  
gerendarum; item Architecti, qui operis, quod efficitur, causas om-  
nes rationesqve cognoscit, fabri vero cæmentarii, ceteriqve ad-  
ministris, quid fiat aut fieri debeat, nòrunt quidem, cur autem unum  
quodqve ita fiat, nec sciunt, nec scire eos opus est. Forma quoqve  
& materia à se invicem mutuò in causando dependent. Sicuti enim  
forma exercere actum suum formalem nequit, nisi materiam actuet  
& informet, ita materia actum suum causalem sibi proprium exse-  
rere nequit, nisi actuatio formæ accedat. Ultraqve vero internâ  
causa dependet etiam ab efficiente. Sunt enim istæ causæ partes con-  
stituentes totius compositi per unionem inter se essentialem, quam  
veluti terminum oportet à causa efficiente derivari, sine quo nec for-  
ma nec materia actu causare potest. Nec obstat, quod hic opponit  
Fonseca, in 2. Met. cap. 2. quæst. 3. Sect. 2. unumquodqve genus causæ etsi  
effectum habere non possit, nisi & alterius generis causa succurrat,  
sufficiens tamen esse ad causalitatem exercendam, & proinde cau-  
sam unius generis alterius generis causæ essentialiter non subordina-  
ri. Illud enim non impedit, quo minus essentialis hic subordinatio  
B obtineat,



obtineat, cum causa physica, virtute pollens propria & sufficiente subordinetur aliquando morali, à qua si non moveatur vel applicetur ad effectum, effectus etiam ipse sequi non potest. Nimirum  $\pi\epsilon\tilde{\omega}\nu\ \psi\epsilon\tilde{\upsilon}\delta\omega$ . Fœdè est, quod perperam ille præsupponit ad essentialem causarum subordinationem requiri necessariò, ut inferior à superiori pendeat etiam quod specificationem actus, cum in hoc tertio sufficiat, si illi quomodocunqve debeat actus ipsius exercitium, quod in eo notavit celeb. *Thomasius in Dilucid. Stahl. ad Disput. V. reg. 4. num. 19.*

S. 4. Elucet coeteroqvi isthæc essentialis subordinatio præceteris in genere causæ Efficientis, cujus proinde aliquot species sistemus seorsim considerandas, de causis deinceps subordinatis in genere finalium nonnulla subjuncturi. Prænotandum autem hic ante omnia est, quæ inter efficientes causas subordinari sibi invicem debent, totales esse debere, neutiquam partiales, cum semper iis in effectu aut diversa ratio respondeat, aut, si eadem, tota utriqve debeatur. Quamquam & hoc de causis essentialiter subordinatis ad se invicem comparatis tantum intelligendum veniat. Fit enim aliquando, ut altera illarum, cum aliis causis, quibus non subordinatur, comparata, partialis sit, ut quando v. gr. DEUS, ut causa universalis concurrat cum lucerna ad illuminationem conclavis, DEUS quidem & lucerna inter se causæ partiales non sunt, quia essentialiter subordinatæ, lucerna tamen cum alia vel aliis lucernis, una conclave illuminantibus collata partialis causa meritò dicitur, quo exemplo *Cl. Musæus in Instit. Met. cap. 15. p. 172.* utitur. Vocantur autem, ut hæc  $\omega\varsigma\ \epsilon\tilde{\nu}\ \pi\alpha\epsilon\tilde{\iota}\delta\omega$  addamus, totales causæ, quæ in ordine ad eundem numero effectum excludunt concursum alterius, non quidem ejusdem generis, attamen ejusdem ordinis causæ; partiales vero illæ, quæ cum alia ejusdem ordinis causa sive, etiam pluribus ad unum eundemq; numero effectum concurrunt, ita ut illis conjunctim sumptis, totus demum effectus respondeat, ipsæqve in toto hoc concursu pro una causa eaqve totali stare dicantur, uti probè monet *Syarez. Disp. Met. 26. Sect. 4. num. 1.* Inter has vero totales causas essentialiter sibi subordinatas eminent inprimis illud subordinationis genus, quod inter causam primam & secundam obtinet. Cujus, quæ sit ratio,

ratio ut explicatius constet, naturâ primum utriusquè causæ & de-  
inde mutuus ille ordo, quem ad se invicem important, uberius exa-  
minandus erit. Est autem causa prima, qualis hîc quidem attendi-  
tur, non ob causandi proximitatem, quo sensu causa prima cum pro-  
ximâ convenit, sed ob primitatem causandi, illa, quæ ita causa est  
efficiens alicujus effectus, ut ejus nulla detur causa prior, à qua illa  
essentialiter dependeat. Convenit ita materialiter cum causa uni-  
versali, quæ in effectum, desinente *Museo in Instit. Met. cap. 15. p. 171.*  
influxum præstat indifferentem & indeterminatum, adeo ut simili  
modo in plures diversissimæ naturæ effectus simul influat, aut influere  
possit, determinatur vero ad effectum talis speciei à concurrente  
aliâ causâ ejusdem generis. Secunda causa est, quæ ab alia efficien-  
te se priore naturâ suâ dependet, soletquè alias particularis salutari,  
quod ab ejus influxu effectus esse aliquot determinatum sortiatur.  
Inter hæc causas datur essentialis subordinatio, cum quæ causa se-  
cunda dicitur, operari non possit aut actum suum causalem exercere,  
nisi & causa prima, quæ DEUS est, immediatione tam suppositi  
quam virtutis ad operationes ejus & effectus concurrat. Qui  
concursum primæ causæ cum secunda in quo proprie consistat, haud  
abs re fuerit ulterius explicare. Observat enim *B. Slevogius in diff.*  
*Acad. p. 354.* quatuor in primis modis posse intelligi, quod DEUS con-  
currat cum causis secundis. Velenim concurrat, quatenus illis dat  
facultatem naturalem agendi, eandemquè conservat, vel quatenus  
eas movet & applicat ad agendum, uti artifex movet atquè applicat  
instrumentum, vel quatenus illas determinat ad individuationem  
effectuum, vel deniquè quatenus influit in operationes & effectus  
illarum, ita ut causæ secundæ absquè tali influxu non sint simpliciter  
potentes agendi, multominus agant, sed reddantur proximè in actu  
primo potentes per illum causæ primæ influxum, atquè per eundem  
in actu secundo agant & operentur. Inter quos modos vero haud  
vulgaris occurrit differentia. Ad secundum enim & tertium quod  
attinet, impertinenter illi adducuntur ad concursum DEI cum causis  
secundis explicandum. Nam quod DEUS moveat, determinet &  
applicet causam secundam ad agendum, uti causa principalis instru-  
mentalem, falsum est. Præterquam enim quod cum causa secunda

objectum habet debite approximatum, semet ipsam illa movere & applicare possit, nec indigeat moveri à DEO, infert necessario hæc sententia in DEUM ipsum omne peccatum, eumqve causam omnis defectûs naturalis æqvè ac moralis constituit. Qui enim omnem causam secundam movet & applicat ad actionem & effectum suum, voluntatem quoqvè humanam movet & applicat ad actionem & effectum peccaminosum, uti recte concludit laudatus antea *Slevogtius in Syll. Diss. Acad. p. 357.* Adde, qvòd istiusmodi determinatio (qvatenus illa dicit præmotionem ordine & actu priorem concursu agentis, virtutem creaturæ activam excitantem, applicantem & ad speciem vel exercitium actus naturalis moralisve ordinarie moventem, non qvatenus illa denotat concursum cum subiecto agente actu simultaneo factum, qvò de videatur *Svarez libr. 1. de Auxiliis gratiæ cap. ult. n. 9. & B. Hülfemannus in Diatr. Schol. de auxiliis gratiæ p. 301.*) cum creatæ voluntatis libertate, ejusqvè quidditativo conceptu indifferentiâ ad utrumqvè oppositorum prorsus sit impossibilis, nec admittat, ut agens intellectuale in aliam actionem, aut actionis speciem se determinare possit, adstrictum quippe ad prædefinitum effectum, qvòd pridem in hac sententia notarunt *Magnif. Dn. D. Calovius Syll. Theol. Tom. 2. cap. 18. quæst. 7. p. 525. & Tom. 3. p. 1211. Danhauerus in Hodom. Calv. p. 787. & Hodom. Pap. phant. 3. p. 901. 902. & seqq.* qvicqvèd etiam hic contradicant *Dominicani*, & quorum hic vestigia premunt *Reformati Philosophi*, præsertim *Hezebordus* qui in *melet. Philosoph. Diss. 9. p. 35. & seqq.* aliquot rationibus præviam istam determinationem stabilire satagit, ad quas sigilatim respondet *Rudrauffius in Phil. Theol. p. 271.* Sed nec illud hic admitti potest, qvòd concursus iste DEI consistat in determinatione causæ secundæ, qvoad individuationem actus, in primam causam referendam, qvalem defendunt *Nominales* aliique *Scholastici*, magno numero citati à *B. Slevogtio in Diss. p. 665.* qui omnes causam secundam, sive naturalis sit sive libera, suâ naturâ indifferentem esse statuunt ad hunc vel illum effectum in individuo, nec ex se posse actionem suam determinare ad hunc potius producendum qvàm illum, atqvè idcirco DEUM decrevisse concursum suum præbere ad producendum hoc individuum in hoc instanti, eumqvè causam  
secunda

Secunda agere non possit sine concursu DEI, consequenter eam de-  
terminari ad agendum hic & nunc, & ad producendum hoc indivi-  
duum & non aliud. Nam, ut præteream, istam quidem determina-  
tionem causæ secundæ à primâ, quoad individuationem sive singu-  
laritatem actus fieri solitam, nondum apud omnes esse in confesso,  
cùm libertas causæ secundæ rationalis non solum occupetur circa  
speciem, sed etiam etiam circa individuationem actus, positâquæ  
causâ secundâ in his & illis circumstantiis producatur omnino hic  
effectus & non alius, uti recte colligit *Vasquez Tom. 1. in 1. Thomæ Disp.*  
*74. cap. 7.* & cum eo *Rudrauff. l. c. p. 272.* solet illa ab Autoribus suis tan-  
tum negativo sensu explicari, ita ut causa prima determinare dicatur  
non influendo, sed suum influxum non subtrahendo, quod à con-  
cursu DEI positivo, de quo jam sumus solliciti, maximè alienum est.  
Primum modum quod concernit, amplectitur eundem *Durandus*  
*in libr. 2. Sent. dist. 1. quæst. 5.* putatquæ per eundem concursum  
divinum sufficienter posse explicari, quem nihil aliud esse vult, quam  
conservationem concessæ semel facultatis agendi, adeo ut, quando  
causa particularis operatur, hic non concurrere videatur causa uni-  
versalis actu & immediate, sed tantum mediatè, quatenus ipsa  
produxit causam particularem, eiqvè dedit virtutem agendi, &  
quatenus tam ipsam causam particularem, quam virtutem ejus  
activam conservat, quæ verba sunt *Durandi l. c.* quem sequitur,  
*Taurellus de rerum æternitate part. 2. p. 451.* & *Ludovicus à Dola Burgun-*  
*dis in disp. quadripartit: citatus ab Oviedo in Curs. Philos. p. 242.* Ex *Car-*  
*tesianis* eandem sententiam tuetur *P. Poiret Cogitat. ration. lib. 2. c. 13.*  
*S. 26. p. 168.* concursum simultaneum, quem etiam ad conservatio-  
nem extendit, ideo DEO tribui docens, quia, cùm res durat sive fluit,  
sive durationis statum decurrit, concipimus voluntatem in DEO  
de ejus existentiâ stare, sive non esse mutatam. Fundamentum  
*Durandi* præcipuum est, quod ostendi nequeat, quâ actione cau-  
sa prima concurrat. Nam, si causa prima immediate concur-  
rit ad productionem effectuum causæ secundæ, aut concurret eadem  
actione, quæ causa secunda, aut diversâ. Sed neutrum hic obtinere vi-  
detur. Nec enim dici potest, quod concurrat eadem actione, quia  
impossibile esse creditur, ut eadem numero actio oriatur à duobus

agentibus & ab utroque quidem agente immediate & perfecte. Nec videtur concurrere posse DEUS cum causa secunda diversa actione. Vel enim DEUS, qui prima causa est, prius attingit effectum, quam actio causæ secundæ, vel posterius, vel denique simul; Si prius obtinet, concursus causæ secundæ, si posterius, causæ primæ concursus frustraneus erit, effectum semper unâ producente ante concursum alterius; si vero simul, vel utraqvè attingit totum effectum, vel una partem ejus & altera quoque partem, quo pacto vel alterutra superfluit, cum quælibet de se sufficiens sit ad producendum totum, vel utraqvè non immediate producit unum eundemque numero effectum. Ad quod vero argumentum haud difficulter responderi potest, assumendo quod eadem sit actio & causæ primæ concurrentis & secundæ, cum quæ DEUS ad unum eundemque numero effectum influit. Nec huc quicquam facit ratio à Durando opposita. Valet enim illa de pluribus agentibus non subordinatis, neutiquam vero de iis, inter quæ essentialis subordinatio locum invenit. Censemus enim essentialiter subordinata eadem numero actione ad eundem quoque effectum influere, ita quidem, ut utraqvè immediate agat, & utraqvè perfecte, quælibet nempe in suo genere. Restat itaque ultimus & quartus modus à communiori philosophorum Schola pridem receptus, quo ita causa prima concurrere docetur cum secunda, ut DEUS non tantum causis secundis agendi vim largiatur, sed etiam iisdem ad omnem actionem & effectum omnem immediate coperetur, ita quidem, ut ipsius & causæ secundæ eadem numero actio sit ad eundem quoque numero effectum tendens. Dicimus concursum illum esse immediatum. Dependens enim creaturæ merito maxima judicatur. Quicquid autem ita à DEO dependet, in illud etiam ipse ut causa prima immediate & proxime influit, cum effectus omnis ab immediata & propinqua causa magis dependeat quam à remotâ, à qua longius abest, ut proinde ad maximam dependentiam non sufficiat remota, sed propinquior omnino causa requiratur, cum quæ ipsa sit conjuncta. Adde, quod quicquid à DEO immediate conservatur, ab eo etiam immediate producat, cum conservatio nihil aliud sit, quam continuata rei productio, quod egregie deducit B. Slevogtius in Syll. Disb. Acad. p. 353. & Dn. Rudrauff, in Phil. Theol. p. 266. Constat autem

ex dictis abunde, inter hæc causas, quas explicavimus, subordinatio-  
nem aliquam dari. Cum enim causa secunda non possit effectus  
suos producere, nisi accedente primâ, nec prima quæ talis, & qua-  
tenus universaliter in effectus influit, operari possit, nisi interventu  
causæ secundæ, hæc duabus causis à se invicem quoad exercitium a-  
ctus, mutuo dependentibus, deprehendi hic aliquam subordinatio-  
nem mutuam fatendum omnino est.

§. 5. Alteram speciem causarum essentialiter subordinata-  
rum in genere causæ efficientis, sistit nobis recepta ejus divisio in effi-  
cientem principalem & minus principalem. Quæ quidem distinctio  
diversimodè explicari consuevit, uti videre est apud *Svaret, Disp. Met.*  
*17. Sect. 2. num. 6. & Fr. de Ovi edo in Curs. Phil. Contr. Phys. 9. punct.*  
*5. Roder. ab Arriaga Curs. Phil. Disp. Phys. 9. Sect. 2.* Judicatur tamen *Svare-*  
*tio* l. c. omnium commodissima & multis difficultatibus tollendis ap-  
tissima expositio, si dicatur principalis causa esse illa, quæ influit in  
effectum virtute non ignobiliori, quam ad eum producendum requi-  
ritur, & minus principalis causa, quæ in effectum virtute ignobili-  
ori, quam ad ipsum producendum exigitur, influit, quæ expositio  
etiam probatur *Cl. Musæo in Instit. Met. cap. 10. p. 163.* Requiritur ita-  
quæ in causa principali, ut inter virtutem ipsius & effectum quædam  
proportio intercedat, non quidem, ut virtus per omnia æqualis sit  
producendo effectui, sed ne illa sit ignobilior quam influxus vel actio,  
quæ effectus producit. Oportet autem hanc virtutem non tan-  
tum sufficientem, sed & propriam esse agenti, nec aliunde commu-  
nicatam, quæ quæ hoc ipso non omnis causæ principali dependen-  
tia denegatur à superiori aliqua causa, quando inter creaturas etiam  
causæ dantur principales suorum effectuum, quæ tamen à Deo ut in  
essendo, ita etiam in operando dependent. Minus principalem  
causam quod concernit, creditur illa communiter instrumentali æ-  
quipoollere. Quidam tamen eandem dividunt in impulsivam & in-  
strumentalem. Sed cum impulsiva, quæ vocatur causa, præcipue  
externa & *πρῶτα ἀρχὴ*, quæ internæ & *πρῶτη μένη* contradistin-  
gitur, aliquando etiam principalis causa esse soleat, docente *Cl. Mu-*  
*sæo in Inst. Met. cap. 26. p. 331.* & à morali causa nihil aut certe parum  
differat (cum quæ *Grassius Phil. Prim. p. 309.* allegat, differentia, quod  
causa

causa moralis in res intelligentes, impulsivâ etiâ in aliâs cadat, non-  
dum ab omnibus recepta sit) pro peculiari specie causarum minus  
principalium incongruè venditur. Videtur autem non incom-  
modè minus principalis causa posse dividi in exemplarem & instru-  
mentalem, quando utraq; in agendo principali agentis subordina-  
tur, & ex se suaq; virtute effectum producere nequit. Est autem ex-  
emplaris causa, forma quædam dirigens actum ex intentione agentis  
certumq; sibi finem determinantis, ut effectus ei quodammodo re-  
spondeat. Equidem controvertitur adhuc inter Scholasticos, num  
satis bene exemplaris causa inter efficientes referatur. Quidam ne-  
gant & ad causam formalem eandem reducant. Hoc præter Duran-  
dum & Cajetanum faciunt Fonseca in libr. 5. Met. cap. 2. quæst. 7. Sect. 5.  
Conimbricenses in libr. 2. Phys. cap. 7. quæst. 4. Art. 1. & Cornæus Curric.  
Phil. tract. 2. de Nat. & caus. rerum quæst. 6. dub. 5. & 8. p. 313. Pleriq;  
tamen nobiscum sentiunt & ad efficientem causam pertinere docent.  
Ita post Thomam Scotus in 1. Sent. dist. 36. quæst. 1. Syret. Tom. 1. Met.  
disp. 25. Scol. 2. num. 8. Petrus à S. Joseph. Met. libr. 2. cap. 7. p. 695. Blasius  
à Benjamea Comm. in lib. Phys. Arist. dist. 6. p. 295. 296. Jacobus Martini ex-  
erc. Met. libr. I exerc. 4. Theor. 4. p. 164. Scheiblerus Met. libr. 1. cap. 22.  
§. 35, 36. p. 272. Salutatur autem forma, non quod secundum enti-  
tatem suam reverà sit forma interna rei, cujus est exemplar, cum i-  
psam rem formaliter non constituat, nec essentiam ejus ita ingredi-  
atur, ut respectu compartis alicujus rationem actus obtineat, sed  
quod effectus saltem ipsi conformetur, ab eo alioqui realiter separa-  
tus. Unde etiam forma tantum externa ratione repræsentationis  
esse dicitur. Conf. Stahlus in discurs. ad Met. p. 60. Hanc formam i-  
mitatur effectus, cum necesse sit, ut inter effectum atq; exemplarem  
causam intercedat quædam similitudo, non illa quidam *μετέθεωσις* sive  
participationis essentialis, attamen expressionis idealis, secundum  
quam effectus exemplari suo adæquatè respondere intelligitur. A  
parte agentis & secundum exemplar effectum producentis duo requi-  
runtur, libera intentio, & finis determinatio. Intentio excludit o-  
mnes formas, ad quas casu vel fortuito sequitur effectus, nulla præ-  
viâ intentione effectum formæ similem producendi. Ita v. g. Archi-  
tecto domum extruente, quæ alii ædificio præexistenti exactè res-  
pon-

spodeat, domus altera exemplar extracta domus dici nequit, si forte fortuna similis fiat, neque agenti in mentem venerit, domum condere, quæ extracto jam ædificio per omnia conformis esse debeat. Determinatio finis solum agens intellectuale esse indicat, quod secundum exemplar operetur. Causæ enim naturales & ad unum determinatæ, utut effectus quandoque edere soleant, quæ habeant similitudinem cum præexistente effectû, quia tamen intellectu & voluntate carent, nec intendere effectum nec finem sibi certum determinare possunt; quâ ratione gallina licet ova undique simillima excludat, nequit dici secundum exemplar operari, cum nec similitudinem ovorum liberè intendat, nec finem sibi illum designet, sed naturali quadam propensione & virtute ad hujusmodi effectum non minus ac ignis ad calefaciendum aliave causa naturalis determinata sit. Ipsæ quoque causæ in agendo liberæ non possunt dici secundum exemplar operari, quando istiusmodi actiones exercent & effectus naturales producunt, cum hoc pacto virtute opus alteri simile aut conforme producendi, destituantur. Quo sensu non incommode *Svarez disp. Met. 25. Sect. 1. num. 4.* solum Deum inter causas per intellectum agentes dicit operari secundum exemplar in ordine ad effectus naturales, quæ ab ipso descendunt. Reliquæ enim intellectuales vel rationales causæ, quamvis possint concipere intellectuales causas verè ac propriè representantes naturales effectus, quia tamen virtutem non habent effectricem horum effectuum, ideo nec possunt aut illas formas applicare ad opus, aut ab eis dirigi in effectione rerum, quas representant, nec ipsæ illæ formæ, quas intellectus concipit, exemplaria dici merentur. *conf. Soner. in libr. V. Met. cap. 2. p. 272.* Solet aliàs pro diversitate respectus, quem habet ad subiectum principale agens, causa isthæc exemplaris varie dividi, aded, ut aliud exemplar internum, aliud externum dici soleat. Cujus diversæ, quæ inter exemplaria intercedit rationis meminit etiam *Seneca libr. 8. epist. 65.* Nihil, inquires ad rem pertinet, utrum foris habeat artifex exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit & posuit. Internum, quod etiam immateriale sive intentionale vocant, forma est intra mentem concepta, quam imitatur effectus ex intentione agentis finem sibi determinantis. Externum vero, quod & materiale, sive secundarium salutari consuevit, forma esse dicitur extra animum

C

con-



constitutâ, quâ imitatione repræsentativa exprimit effectus ex intentione agentis certumquæ finem sibi determinantis *Conf. Ariaga Curs. Phil. disp. phys. 8. Sect. 8. num. 88.* Secundum internum exemplar dicitur Deus tantum agere, cui nullum exemplar externum aut ideæ extra mentem ejus existentes affingi possunt, quod Platonem fecisse Aristotelis testimonio constat, de cujus tamen fide præter veteres adhuc dubitant *Durandus in libr. 1. Sent. dist. 36. quæst. 3. B. Stevogt. in Syll. diss. Acad. diss. 10. p. 174 Herebordus in Melet. Phil. vol. 2. disp. 31. tb. 3. p. 289,* multiquæ alii. Propriè tamen loquendo, nec internum exemplar, sive ideæ internæ adscribi DEO possunt. Nam utut Deus exquisitissimè cognoscat omnia, non tamen rerum vel producendarum vel productarum reipsa distinctas facit ideæ, sed ideæ sive causæ exemplares, quæ in mente divinâ existere creduntur, licet multiplicentur secundum respectum ad res, non sunt tamen realiter aliud à divinâ essentiâ, prout ejus similitudo à diversis participari potest diversimode, ut loquitur *Thomas P. 1. Q. 44. art. 3. Conf. etiam B. Dorschem in Theol. Zach. part. 2. disp. 4. p. 154. 155.* Secundum utrumquæ exemplar tam internum quam externum agit creatura intelligens, & in specie homo, quamvis in artifice perfectionis majoris erit indicium, si opus affabre possit conficere secundum exemplar internum, quàm si respicere cogatur ad externum, docente *Mendoza disp. Phys. 11. de Anim. Sect. 5. num. 28.* Cœterum, quod in agendo causa isthæ exemplaris subordinetur principali agenti, è formali ejus ratione liquidò apparet. Ipsa enim causa exemplaris de se insufficientis est ad producendum effectum, adeoque necesse est, ut si ad ejus imitationem produci debeat, ipsa in agendo subordinetur superiori causæ liberæ, quæ uti ad eandem respiciens ab eadem in agendo dirigitur, ita deinceps propriâ viagens principalis effectus causa est. Alteram in nostra divisione causæ minus principalis speciem sinit instrumentalis causa, quæ ob insufficientiam virtutis propriæ in agendo à principali causa elevatur, ut ad effectum id, quod debet, conferre possit. Quæ elevatio quomodo fieri soleat, declarat accuratè *B. Dn. D. Musæus in decl. Jen. p. 108.* Operatur nimirum instrumentalis causa in virtute principalis agentis, quia illa vis, quæ illi inest, improporcionata est & insufficientis & solum habet vim operandi juxta mensuram virtutis

virtutis & elevationis principalis agentis, ut loquitur *Suarez Diss. Met. 17. Sect. 2. num. 19.* Datur alias inter instrumentalem causam & instrumentum ingens varietas & insignis differentia, cum, quæ instrumentales causæ sunt, actu ipso ad usum adhiberi atque ad effectum applicatæ concurrere debeant; ad instrumenta verò sufficiat sola *Diva-  
pue*, etiamsi usus ejusdem nunquam accedat. Conf. hanc utriusque differentiam exponentes *B. Joh. Musæus in decl. Jen. pag. 68. Petr. Musæus in Inst. Met. cap. 15. p. 165. & Stahlus in Reg. Phil. part. 2. disp. 6. reg. 7. §. 14.* Est autem hic imprimis sermo de illis causis instrumentalibus, quibus vera actio, quæ est causalitas causæ efficientis, convenit. Dari enim quasdam causas instrumentales, quæ non sunt activæ, haud male observant *Scotus in libr. 4. Sent. disp. 1. quæst. 5. Mendoza Diss. Phys. 9. Sect. 12. num. 114. & B. Slevogt. libr. cit. p. 460.* Reperiuntur enim instrumenta artis, quæ cum causâ principali concurrunt non tam agendo, quam patièdo modum istius. Ita terebram esse instrumentum nemo negat, hæc tamen etiam in usu suo spectata, licet duritie quadam pellat lignum, non pellit tamen activè, sed formaliter, propter impossibilitatem quam habent, respectu ejusdem ubi. Non datur etiam vera actio & influxus activus, qualem propriè requirit efficiens, in causâ instrumentali morali, quæ non tam illa est, quæ causa moralis in productione sui effectus utitur, & quæ ex præscripto atque autoritate alterius ad effectum aliquid confert, quam, quæ cum in se non habeat, quo causam physicam moveat, eandem ad agendum movet accepto valore à causâ principali, quam ejus descriptionem tradit *B. Slev. in Syll. Diss. Acad. p. 702. Conf. etiam Stahlus part. 2. Reg. phil. disp. 6. reg. 4. num. 13. B. Joh. Musæus in diss. de ætern. elect. decret. cap. 2. p. 71, 72, 77. & Petr. Musæus in Inst. Met. cap. 15. §. 12. p. 168.* Quod autem instrumentales causæ principalioribus subordinentur, eorum influxus actualis abunde docet, qui cum ignobilior sit & insufficientis, atque adeo requirat elevationem, quæ à superiori & principali causa profisciscitur, dependere illas in ratione causandi ab his apertum est, quod ad essentialem subordinationem sufficit.

§. 6. Datur etiam essentialis quædam subordinatio in genere causæ efficientis inter physicam & moralem, à Scholasticis judice *Dregero in phil. Prim. disp. 6. §. 12.* non male ita distinctas. Quæ ut eo com-

modius possit percipi, placet utriusq; causæ formalem specificamq; rationem paucis evolvere. Describitur autem causa physica, communi philosophorum consensu, quod sit ejusmodi efficiens, quæ vere & realiter in effectum influit, sive quæ per entitatem suam jam existentem immediate concurrat ad effectum, uti habet descriptio *Mendozae Disp. phys. 8. Sect. 9. num. 14.* Ubi ex *Svarezio Disp. Met. 17. Sect. 2. n. 6.* notari meretur, causam physicam hoc loco non designare causam, quam naturalem vocant, sed universalius sumi, & complexu suo continere non solum causam naturalem, qualis est visus, respectu visionis elicita, ignis respectu calefactionis; sed etiam liberam, qualis est DEus in ordine ad creationem, angelus & homo respectu suarum operationum, artifex respectu operum artificialium, quas causas omnes ex eo, quod realem & immediatum influxum habent in suos effectus, physicas appellari, probe ostendit *Slevogt. l. c. p. 698.* Moralis autem causa est, quæ non efficit & influit realiter, ad effectum tamen aliquid ita confert, ut ipsi jure & aliquando etiam ad laudem vel vituperium, ad præmium vel pœnam imputari possit, non aliter ac si reali actione in eundem influxisset *Conf. Joh. de Rada Tom. IV. contr. int. Thom. & Scot. Contr. 3. art. 3. Mendoza l. c. Roder. ab Ariaga curs. Phil. disp. phys. 7. Sect. ult. aliiq;.* Ubi non prætereunda est illa differentia, quam inter agens morale & causam moralem eleganter ostendit *Cl. Velthen in diss. Acad. de caus. moral. per accid. §. 1. & seqq.* quando agens morale scribit, esse omne illud, quod actione libera eaq; vel honesta vel turpi tendit in effectum, sive illud fiat immediate & per influxum physicum, sive mediate solaq; motione, moralis autem causæ nomen tribuit omni agenti libero, quod mediate saltem & absq; contactu physico ad effectum aliquid confert, sive jam actus ille sit è genere morum adeoq; vel bonus vel malus, sive adiaphorus, nihilq; moralitatis in se contineat. Quam proinde distinctionem non attendunt, qui cum *Cl. Musæo l. c. cap. 13. §. 15.* quem sequitur *Henry. Rixnerus in exerc. de præcip. int. Caus. Phys. & moral. diss. §. 8.* fieri posse docent, ut una eademq; causa simul ac per se causa sit physica ac moralis in ordine ad unum eundemq; effectum, idq; probant exemplo homicidæ innocentem sua manu trucidantis, qui ita sit causa phys. homicidii ut simul sit causa moralis, quatenus ipsi recte imputatur homicidium,

eo quòd sciens & volens illud commisit. Et si autem non negamus  
in diverso causandi genere, vel in ordine ad diversos effectus posse  
contingere, ut id quod habet rationem causæ physicae, simul induat na-  
turam causæ moralis, quo pacto medicus causa physica est applica-  
tionis medicamentorum, sed moralis sanitatis per medicamenta re-  
cuperatae, attamen contradictionem implicat, idem simul & per se  
causam physicam & moralem esse posse in ordine ad eundem effe-  
ctum, cum contradictoria sint, influere realiter, quod causæ physicae  
tribuitur & non influere realiter, quod causæ moralis esse dicitur.  
Nec difficili negotio solvitur argumentum. *Cl. Rixneri*, quo à contradi-  
ctione liberare *Cl. Musæi* & sequatium sententiam adnititur, intentio-  
nem, quæ ad moralem causam sufficiat, & simul physicum influxum  
convenire posse in uno agente l. c. docens. Non enim sufficit ad mo-  
ralem causam tantum intentio, cum hac ratione moralis causa cum  
liberâ & intellectuali formaliter esset eadē, quod tantum populariter  
credi observat *Svarez disp. Met. 17. Sect. 2. num. 6.* & *Bernhardus Mori-  
sanus disp. Phys. 3. quæst. 7.* fatetur quæ ipse *Cl. Rixnerus S. 1. cit. disp.* sed  
requiritur præterea absentia immediati contactus, in quo moralem  
à physica potissimum differre communis philosophorum Schola tra-  
dit. Licet itaque causa quædam efficiens agat ex intentione, & ex hac  
ratione intellectualis sive libera causa dici possit, moralis tamen dici  
nequit, si per entitatem suam & immediatè effectum attingat. Inte-  
rea non negamus intentionem esse conditionem & requisitum neces-  
sarium in omni causa morali, effectum quæ simplicem (bonitatem enim  
& malitiam effectus non est, ut hic præcise attendamus, cum necesse  
non sit, ut causa moralis, morale quid in sensu ethico contineat,  
quando actus etiam indifferens esse potest, docente & exemplis id de-  
monstrante acutissimo *Slevogt. Syll. disp. p. 727.* & post eum *Velthenio l.  
c.*) istiusmodi agenti ideo imputari, quod effectum vel indirecte inten-  
derit, vel directe, & ex illa intentione vel agendo aliquid, vel actionem  
debitam omittendo ad effectum istum contulerit. Dicitur autem  
directe intendere effectum, qui eundem ipso voluntatis actu efficaci-  
ter expetit, hoc est ita, ut vel efficiat, vel saltem ad effectum aliquid  
conferat. Quod posterius, uti in causa morali obtinet, cui verus in-  
fluxus, sive immediata actio & contactus physicus denegatur, ita

diversa ratione contingit. Velenim confert quis ad effectum aliquid positivè vel negativè. Positivè confert, qui jubet, vel præcipit aliquid cum effectu, qui ad patrandum aliquid cogit aut minis instigat, qui consilium cum effectu subministrat, media etiam & instrumenta, eo tamen sine, ut facinus promoveat, qui removel prohibens vel impediens, eo quidem animo, ut effectus sequatur. Refertur etiam huc potest, qui applicat agens principale ad patients, sive jam illud fiat in commodum alterius, sive cum damno & detrimento. Quo pacto medicus dicitur causa sanitatis ægroti, quam tamen ipse non producit actione reali & physica, sed tantum morali, præbendo medicamentum, quod sua illam virtute producit. Eadem ratione Pater generans causa dicitur filii non physica, sed moralis, quod concinnè demonstrat laudatus antea *Slevogt. in Syll. p. 724.* Negative dicitur ex directa effectus intentione aliquid conferre, qui non manifestat, ad quod tamen revelandum tenebatur, qui non monet prævius, non dehortatur, non reprehendit, non svadet aut dissvadet, non vetat & punit, cum tamen adhæc omnia sit obstrictus, qui media non subducit & instrumenta, qui agens à patiente non subtrahit, cum possit ac debeat, qui in necessitatis casu versanti auxilium denegat, quod præstare alteri & potest & debet, qui omittit aliquid agere, quod omittere non debebat, ita quidem, ut hanc omissionem effectus comitetur. Indirectè dicitur quis intendere effectum, si quis eum efficaci voluntatis actu non expetat, sciens tamen aliquid ad ipsum conferat, atq; adeo perinde se gerat, ac si eum expeteret. Hac ratione effectum indirectè intendisse putatur, qui agit quippiam, ex quo novit effectum sequi, si præsertim ab eo teneatur abstinere, sive jam effectus necessario ad hujusmodi actionem sequatur sive ut plurimum, dummodo non raro & forte fortuna hic cum illo jungatur, sive jam sciat, aut adhibita diligenti attentione ignorare nequeat effectum fuisse secuturum, sive si hoc non scivit, noverit tamen periculum subesse, ne sequeretur, pro ut hæc subtiliter discussa & exemplis illustrata videri possunt in *Inst. Met. Cl. Musæi cap. 3. p. 137. & seqq.* Conf. etiam *Rixnerus in cit. diff. de præcip. inter causam physicam & moralem differentiis*, quas accuratè explanat. Quod autem inter hæc recensita causarum genera essentialis illa, de quâ nobis sermo est, detur subordinatio,

1  
dinatio, nullo negotio ostenditur. Subordinat enim sibi moralis  
causa in agendo principalem physicam, nec absq; ejus concursu, qua  
talis, effectum potest producere. Ita salutaris ægroto medicina in re-  
stituendâ sanitate ægroti subordinatur medico, qui ægroto eandem  
applicat, & propter hanc applicationem agentis ad patiens redditæ  
sanitatis causa moralis audit. Pari ratione ignis in deflagratione ædiû  
subordinatur incendiario, qui ædibus ignem malitiosè immittens il-  
las comburit. Quamquam enim nec medicamentû nec ignis applican-  
ti vim suam agendi debeant, ab ejus tamen applicatione habent, ut hic  
& nunc agant, adeoq; ab eo dependent in sanando vel comburendo  
hoc subjecto & non alio. Tuetur quidem hic contrarium *Cl. Stablinus*  
quando in *Reg. Phil. part. 1. disp. 5. reg. 4. S. 12.* docet, licet aliquis sva-  
sû & instinctu vel patris vel cujuslibet etiam peregrini hominis patri-  
am prodat, pater quoq;vè, vel peregrinus ille habeatur pro causâ  
proditæ patriæ, quia fuit causa causæ, sive est causa, cur alter pro diti-  
onis crimine se alligarit, item cum carnifex jussu magistratus homi-  
cidam decollat, magistratus sit causa decollationis, quemadmodum  
& qui subjicit ignem tecto, combustarum ædium causa sit, nihilomi-  
nus tamen in hisce exemplis subordinationem non intervenire, cum  
nec pater vel peregrinus ille ad proditionem, nec magistratus ad de-  
collationem, nec qui subjicit ignem, ad combustionem ædium concur-  
rat. Enim vero videtur *Vir Cl.* justo arctioribus cancellis subordi-  
nationem illam, quæ inter causas intercedit, includere. Nam utut  
ille, qui ut patriam prodat, autore est alteri, ad proditionem immedia-  
te & per entitatem suam non concurrat, sufficit tamen, quod alterum  
ad effectum illum morali svasione induxerit, sine qua fortassis alter ip-  
sum in actum nunquam deduxisset. Licet etiam magistratus ipse  
sceleratum non trahat ad supplicium, quia tamen capite plectendum  
tradit carnifici, à quo absq; injussu magistratus id fieri alias moraliter  
nequit, actus tamen ille magistratui, ut causæ morali imputatur. Nec  
minus incendiarius, etsi ædes ipse non comburit, combustionis tamen  
illius causa censetur, ignem applicando, qui nisi ab eo fuisset appli-  
catus, nec ædes hoc tempore conflagrassent. Ex quo isthæc depen-  
dentia, quæ ad subordinationem causalem requiritur, in hoc etiam  
causarum ordine abunde elucescit.


§. 7. Restat jam ut subordinatorem, quæ inter finales causas datur, paucis exponamus. Eam duplicem facit *Cl. Musæus in Inst. Met. p. 302.* Essentialem aliam, aliam accidentalem. Hæc, quæ intercedit inter duos vel plures fines, quorum unus ab altero dependet aut procedit aliquo modo absq[ue] causali tamen dependentia, ad præsens forum non spectat, quod essentialem tantum subordinatorem, quæ cum essentiali dependentia est conjuncta, considerandam sistit: Illa, quæ inter duos vel plures fines reperitur, quorum unus ex naturâ sua ab altero in causando dependet, ita ut non moveat ad agendum unus, nisi & alter simul moveat, in non mutuam & mutuam dispesci potest. Non mutua intercedit inter finem proximum & remotum, intermediam & ultimum, quorum ille ita dependet ab altero, ut nisi vel remotus vel ultimus ad agendum moveat, nequæ proximus nec intermediorum ullus movere actumquæ causalem finem proprium exercere possit. In effectivis sive habitibus artium datur isthæc subordinatio inter finem internum, qui opus dici consuevit, & externum, qui operis hujus usus est, quando internus finis ita subordinatur externo, ut totus sit propter illum, atque externus quidem interno modum ac mensuram præscribat. Reperitur etiam idem subordinatorem genus, inter fines minus principales & principalem, quorum illi omnes uni principali subordinantur. Licet enim horum finium non sit unus propter alterum, cum alias ab intermedio fine non distingueretur minus principalis, consistit tamen eorum subordinatio in hoc, quod finis minus principalis non possit agentis appetitum movere, nisi & principalis expetatur. Mutua subordinatio datur inter fines partiales comparatos, non quidem cum uno totali, ubi non mutua subordinatio locum magis invenit, sed ad se invicem, planè uti mutuo sibi subordinantur ipsæ partes dissimiles, quarum illi sunt fines. Deprehenditur etiam hæc subordinatio in fine cui & cujus, objectivo item & formali, quam tamen subordinatorem non tam diversorum esse finium, quam eorum, quæ ad unum constituendum finem diversa ratione & habitudine concurrunt, non malè observat *Musæus Inst. cap. 25. §. 20. p. 298. & §. 24. p. 301.* ubi plenius deducta legi possunt.

Nos hic receptui canimus, DEO quæ supremæ rerum omnium causæ pro præstito auxilio devotas persolvimus gratias.

Θεω μόνω δοξα.








virtutis & elevationis principalis agentis, ut  
 17. Sect. 2. num. 19. Datur alias inter instru-  
 trumentum ingens varietas & insignis diffi-  
 mentales causæ sunt, actu ipso ad usum adhi-  
 plicatæ concurrere debent; ad instrumenta  
 16, etiamsi usus ejusdem nunquam acceda-  
 differentiam exponentes B. Job. Musæus in  
 fæus in *Inst. Met.* cap. 15. p. 165 & Stahlus in R  
 7. §. 14. Est autem hic in primis sermo de  
 bus, quibus vera actio, quæ est causalitas cau-  
 Dari enim quasdam causas instrumentales, quæ  
 male observant Scotus in *libr. 4. Sent. dist. 1. q.  
 9. Sect. 12. num. 114.* & B. Slevogt. *libr. cit. p. 4*  
 instrumenta artis, quæ cum causâ principa-  
 gendo, quam patiendi modum istius. Ita-  
 tum nemo negat, hæc tamen etiam in usu si-  
 quædam pellat lignum, non pellit tamen ad  
 pter impossibilitatem quam habent, refertur  
 datur etiam vera actio & influxus activus  
 efficiens, in causâ instrumentali morali, quæ  
 sa moralis in productione sui effectus utitur  
 autoritate alterius ad effectum aliquid confi-  
 non habeat, quo causam physicam moveat,  
 vet accepto valore à causâ principali, quæ  
 dit B. Slev. in *Syll. Diss. Acad.* p. 702. *Conf. etia  
 disp. 6. reg. 4. num. 13.* B. Job. Musæus in *diff. de  
 71, 72, 77.* & Petr. Musæus in *Inst. Met.* cap. 1  
 tem instrumentales causæ principalioribus  
 influxus actualis abunde docet, qui cum igitur  
 atque adeo requirat elevationem, quæ à sup-  
 proficiscitur, dependere illas in ratione cau-  
 quod ad essentialem subordinationem suffi-

§. 6. Datur etiam essentialis quædam  
 causæ efficientis inter physicam & moralem  
 jero in *phil. Prim. disp. 6. §. 12.* non male ita di-

C 2

rez *Disp. Met.*  
 ulam & in-  
 quæ instru-  
 ffectum ap-  
 sola *Dyna-*  
 cutriusque  
 8. *Petr. Mu-*  
 . *disp. 6. reg.*  
 rumentali-  
 convenit.  
 tivæ, haud  
 a *Disp. Phys.*  
 ntur enim  
 non tam a-  
 instrumen-  
 icet duritie  
 aliter, pro-  
 ubi. Non  
 riè requirit  
 est, quæ cau-  
 scripto atque  
 æ cum in se  
 endum mo-  
 tionem tra-  
 2. *Reg. phil.*  
 ret. *cap. 2. p.*  
 Quod au-  
 r, eorum  
 insufficiens,  
 cipali causa  
 pertum est,  
 io in genere  
 s iudice Dre-  
 ut eo com-  
 modius



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T266 Serial No.